

ut Johannem Jejunatorem, titulum Episcopi Œcumenici sibi arrogantem, insequantur. Quæ, fateor, Epistola non una eademque *Indictione* xiiii. anno 595. dari potuerunt: sed prima quidem notata num. 39. ad ann. 593. vel 594. ineuntem, referri debet, quum ea gratulatoria sit de re-stitutione Anastasii in Sedem Antiöchenam, quæ, ut supra ostensum est, mense Martio ann. 593. contigerat: reliquæ duæ ab *Indict.* xiiii. & anno 595. ob ullam causam, removeri nequeunt.

Lib. vi. *Indictione* xiv. anno 596. mense Augusto, Epistola lx. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, miratur, quod Epistolæ adversus Johannis Constantino- politani superbiam non responderit: *Præterea ante aliquantum temporis, communi filio Sabiniano Diacono responsa Ecclesiæ in urbe Regia facienti, scripta nostra transmissimus, quæ vestræ Fraternitati dirigere debuisset. Quæ si suscepistis, miramur cur nobis ad ea minime respondistis. Et ideo, quia cavendum est, ne cujuslibet superbia, scandalum Ecclesiis introducat, necesse est, ut eadem scripta subtiliter relegentes, omni studio & tota intentione, quæ ad honorem vestrum & pacem Ecclesiæ pertinent, conservetis.*

Hactenus in vivis fuerat Johannes Jejunator, cujus superbiam retundi, ob arreptum *OEcumenici* titulum scriptis ad Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas literis hortatur S. Gregorius Pontifex. Quum autem is mense *Septembri die 2. anno 595.* decesserit, Cyriaco successore in Sede Constantinopolitana relicto, videtur missa ad (1) Eulogium *mense Augusto Epistola*, non ad *Indictionem* xiv. neque ad annum 596. pertinere, sed ad *Indictionem* & annum antecedentem. Alioquin S. Gregorius, Cyriaci successoris meminisset. Eadem ratione existimo *Epistolas* iv.

(1) Pagius ad ann. 596. n. 2. Baronius ideo (eam Epistolam) hoc anno (596.) consignavit, quod in Regesto divi Gregorii lib. vi. Epist. xv. *Indict.* xiv. inter mensem Septembrem & Octobrem, referatur *Epistola ad Job. Episcopum Constantinopolitanum* scripta. Inde enim deduxit, Joannem usque ad præsentem annum (596.) vitam produxisse, quum *Indictio* xiv. coepta fuerit Kalendis Septembris anni antecessoris (596.) verum inde tantum colligendum, Gregorium Papam, quando eam Epistolam misit, nuncium mortis Johannis nondum accepisse. Non audiendus etiam Auctor Chronici Alexandrini, qui Cyriaci Presbyteri Ecclesiæ Constantinopolitanæ & *OEconomi*, qui Joanni successit, initium consignat anno 594. nempe sub *Indict.* xiii.